

Fleck) et „caecam“ (blinde Fleck<sup>1)</sup>), quae omnia nullo modo percipiuntur; porro imago in retina potest habere eandem omnino extensionem pro obiecto parvo paulum distante et pro obiecto magno valde distante, vel potest esse diversa pro eodem obiecto in diversa distantia. Quomodo tunc recte potest repraesentari extensio rei, si nil percipio nisi meam affectionem? Numquid ex divergentia radiorum lucis? Sed conscientia teste illam divergentiam non apprehendimus et esset iam perceptio obiectiva, non propriae affectionis. Quomodo ex motibus nervorum uniformibus posset cognosci tanta rerum diversitas? Cur series, si inverti non potest, tempus repraesentat secundum Herbart, series vero, quae inverti potest, non duplex tempus, sed spatium producit, non vero series sonorum et colorum? Neque verum est, quod Trendelenburg docet, motu interno ex puncto fieri superficiem et ex superficie corpus. Nam teste experientia interna et externa primo corpus trium dimensionum percipimus, nunquam vero superficiem mathematicam vel punctum, quae sunt abstractiones mathematicae neque unquam a sensu apprehendi possunt. Neque quisquam ex colore et impressione aliqua organica extensionem efficit; immo nullus color sine extensione percipitur omnisque motus oculorum vel innervatio spatium *supponit*, non producit. Deinde constat et conscientia et experientia et experimentis<sup>2)</sup>, sine ullo motu oculorum vel associatione plurium sensuum, sine ulla conclusione iam primo intuitu extensionem tum duarum tum trium dimensionum (Tiefenwahrnehmung contra Johnson et Lipps) nos percipere. Et certe, si ex affectionibus subiectivis extensio construeretur, nil impediret, ne spatium plurium tribus dimensionum conciperem, quod tamen impossibile est.

C) Denique nulla posset esse certitudo cognitionis. Nam extensionem rei, quam percipio, aut in ipsa re percipio, aut non. Si in ipsa re percipio, immediate extensionem apprehendo, neque opus est subiectiva eius constructione; si non in ipsa re percipio, nunquam possum esse certus, meam repraesentationem obiecto conformem esse. *Atqui* tunc destruitur omnis certitudo naturalis, omnis scientia physica, mathematica, astronomica etc., quod absurdum est. *Ergo* admittendum est, nos immediate percipere sensibile commune.

*Scholion*: Hoc non impedit, ne experientia et usu sensus nostri quoad perceptionem sensibilis communis valde adjuvari et perfici possint. Constat enim, caecos sanatos, licet obiecta externa et extensa statim videant, valde tamen imperfecte rerum figuras et distantias diiudicare, paulatim vero adjuvante tactu et motu et accommodatione oculorum et visione binoculari perfectam rationem videndi acquirere.

*Obi*. Difficultates, quae contra hanc thesim fieri possunt, partim sunt eadem, ac contra III. partem thesisi prioris, unde hoc loco potissimum

<sup>1)</sup> Macula lutea occupat fere 1<sup>o</sup>, caeca 6–8<sup>o</sup> spatii visualis (des Gesichtsfeldes).

<sup>2)</sup> Vide Müller, System der Philosophie, p. 165. Quaedam obiecta vel propter parvitatem (infra 60“ anguli visualis = 0,00438 mm distantiae bacillorum (Stäbchen) in oculo) vel propter celeritatem (scintilla electrica 0,0000 11“) non possunt motum oculorum excitare et tamen videntur.

argumenta Kantii<sup>1)</sup>, quae sunt fundamenta totius eius critici idealismi, expendamus.

1. Forma spatii (et temporis) debet praecedere perceptionem, i. e. esse a priori in percipienti, ut res in spatio videri possint, ne in unum chaos confluant.<sup>2)</sup>

*Resp.* 1<sup>o</sup> Dist.: debet praecedere perceptionem prioritate *temporis* — nego; prioritate *naturae* — subd.: in rebus perceptis — conc.; in percipiente — nego.<sup>3)</sup>

2<sup>o</sup> Retorqueo: Eodem argumento posset demonstrari, omnes conceptus esse innatos: Ut hominem aliquem cognoscam, debet conceptus hominis praecedere . . .

3<sup>o</sup> Porro posset concedi antecedens et negari consequens. Nam etiamsi forma spatii inesset homini a priori, nondum sequeretur, spatium non existere a parte rei. Sed difficultas tunc esset explicandi, quomodo haec subiectiva quantitatis perceptio cum re quanta coniungeretur eique conformis fieret.

2. Atqui spatium non potest esse in rebus perceptis; nam optime potest cogitari res nullas esse, non vero nullum spatium esse<sup>4)</sup>; dist.: hoc non potest sensibus repraesentari, conc.; non potest cogitari, subd.: nullum spatium reale esse — nego; nullum possibile — conc.

Confundit conceptum spatii cum sensitiva eiusdem perceptione.

3. Atqui spatium neque concipi potest nisi ut forma a priori; nam res sensibiles sunt individuae, finitae; spatium autem:

a) Est unum<sup>5)</sup> ubique identicum; dist.: conceptus spatii — conc.; repraesentatio spatii per sensus — nego;

<sup>1)</sup> En eius sententiam: „Der Raum stellt gar keine Eigenschaft irgend einiger Dinge an sich, oder sie in ihrem Verhältnis aufeinander vor, d. i. keine Bestimmung derselben, die an Gegenständen selbst haftete und welche bliebe, wenn man auch von allen subjektiven Bedingungen der Anschauung abstrahierte.“ Kr. d. r. Vern., III. edit. 1791, p. 42. Cfr. Pesch, Haltlosigkeit der mod. Wissenschaft, p. 40.

<sup>2)</sup> „Damit gewisse Empfindungen auf etwas ausser mich (sic) bezogen werden, ingleichen damit ich sie als ausser einander . . . vorstellen könne, dazu muss die Vorstellung des Raumes schon zu Grunde liegen“ ibid. 38.

<sup>3)</sup> Idem animadvertit Wundt, Logik II, 1. Abt. p. 106 sq.

<sup>4)</sup> „Man kann sich niemals eine Vorstellung davon machen, dass kein Raum sei, ob man sich gleich wohl denken kann, dass keine Gegenstände darin angetroffen werden. Er wird also als die Bedingung der Möglichkeit der Erscheinungen und nicht als eine von ihnen abhängende Bestimmung angesehen und ist eine Vorstellung a priori“ (S. 38). Similiter Schopenhauer: „Alles, alles, alles können wir aus dem Raum wegdenken . . . nur den Raum selbst können wir auf keine Weise los werden . . . Dies beweist ganz sicher, dass er unserm Intellekt selbst angehört, als integrierender Teil desselben und zwar der, welcher den ersten Grundfaden zum Gewebe desselben, auf welches danach die bunte Objekten-Welt aufgetragen wird, liefert.“ Alio loco dicit: „Vor Kant steckte unser Kopf im Raume, nach Kant steckt der Raum in unserm Kopfe.“

<sup>5)</sup> „Der Raum ist kein diskursiver, oder, wie man sagt, allgemeiner Begriff von Verhältnissen der Dinge überhaupt, sondern eine reine Anschauung; . . . denn erstlich kann man sich nur einen einzigen Raum vorstellen . . .

b) est universale, cuius partes sunt singula spatia, quae supponunt totum; dist.: repraesentatio sensibilis spatii est universalis — nego; conceptus spatii — conc. Ad rationem additam: totum debet praecedere partes — nego;

c) est infinitum<sup>2)</sup>; dist.: spatium sensibile — nego; spatium mente conceptum; subd.: conceptus *primitivus* spatii — nego; nam exhibet corpora concreta; conceptus reflexus, iterum dist.: exhibet spatium absolutum tanquam *actu* infinitum — nego; *potentia* infinitum, i. e. indefinitum — conc.

d) Geometria supponit, ut sit certa, formam spatii a priori invariabilem<sup>3)</sup>; dist.: supponit formam sensibilem — nego; conceptum universalem spatii abstracti, subd.: a rebus sensibus perceptis abstractum — conc.; nobis a priori inditum — nego.

e) Atqui requirit formam sensibilem, quia problemata mathematica non resolvuntur, nisi mediante intuitione sensibili<sup>4)</sup>; dist.: ad memoriam et *phantasiam* adiuvandam — conc.; ad problema ipsum in se *mente* probandum — nego. Immo saepe figura, quae in tabula describitur, est in se falsa, e. g. in problematibus stereometricis, ita ut mente corrigi debeat.

f) Atqui debet adhiberi forma sensibilis ad ipsum problema in se probandum; si enim conceptus mathematici a rebus contingentibus essent abstracti, in problematibus mathematicis non posset inveniri illa necessitas, universalitas, immutabilitas, quae omnibus fatentibus in rebus pure mathematicis habetur; dist.: nisi ipsa natura rerum etiam contingentium earumque relationes essentialis, quae per mentis cognitionem abstractivam percipiuntur, essent immutabiles, necessariae aedemque in omnibus rebus sive existentibus sive possibilibus — trans.; secus — nego. Certe si haec difficultas quidquam probaret, omnes veritates universales et necessariae e. g. principia cogitandi, omnes veritates mathematicae purae deberent nobis esse innatae, quod ne Kantius quidem audet affirmare.

g) Atqui mathematica supponit formas sensibiles spatii innatas; nam e. g. theorema: Duabus lineis rectis superficies includi nequit, non potest probari ex conceptibus subiecti et praedicati, sc. duo et linea recta; ergo ex intuitione sensibili probari debet.

*Dist. antecedens*: nequit probari ex conceptibus subiecti et praedicati recte intellectis — nego; alias — conc. Neque enim recte Kantius illud pro-

Die Teile des Raumes können nicht vor dem einigen, allbefassenden Raum gleichsam als dessen Bestandteile vorhergehen, sondern nur in ihm gedacht werden.“ Ibid. p. 39.

<sup>2)</sup> „Der Raum wird als unendliche gegebene Grösse vorgestellt . . . Aber kein Begriff als solcher kann so gedacht werden, als ob er eine unendliche Menge von Vorstellungen in sich enthielte . . . Also ist die ursprüngliche Vorstellung vom Raum Anschauung a priori und nicht Begriff.“ (p. 39).

<sup>3)</sup> „Auf diese Notwendigkeit a priori gründet sich die apodiktische Gewissheit aller geometrischen Grundsätze und die Möglichkeit ihrer Konstruktion a priori . . . A posteriori erworbene Begriffe hätten alle Zufälligkeit der Wahrnehmung . . . nur komparative (induktive) Allgemeinheit“ . . .

<sup>4)</sup> „So werden auch alle geometrischen Lehrsätze niemals aus allgemeinen Begriffen z. B. Linie und Triangel, sondern aus der Anschauung und zwar a priori mit apodiktischer Gewissheit abgeleitet.“ (p. 39).

blema exponit. Ut enim habeat formam logicam, sic proponendum est: Superficies duabus lineis terminata non est superficies undique conclusa. Tunc enim ex conceptu subiecti (superficies = planities saltem tribus lineis inclusa = non duabus vel una linea terminata) sequitur praedicatum.<sup>1)</sup>

4. Obi. Zenonis Eleatis: Spatium reale, si esset, deberet iterum esse in spatio et ita in infinitum, quod repugnat; dist. antecedens: deberet iterum esse in spatio reali, i. e. debet saltem sui ipsius terminis includi — conc.; debet includi aliis spatiis realibus, subd.; si existunt — trans.; si non existunt — nego; tunc enim solum spatium possibile est ac proinde sola possibilitas inclusionis.

5. Sufficit organum extensum, ut extensio nobis repraesentetur, nam quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; dist.: absolute sufficit — trans.; ordinarie — nego; esset enim tunc deceptio perpetua, invincibilis naturae vel Dei. Ad rationem additam: Cognitio recipitur ut *actus* vel ut species intentionalis ad modum recipientis — conc.; obiectum non cognoscitur, ut est in se — nego.

6. Si nostra quantitatis perceptio esset immediata, omnes homines deberent eam eodem modo, ita ut est in obiecto, apprehendere quoad locum, distantiam, figuram, extensionem, motum, quietem (Berkeley). Atqui tot sunt hominum dissensiones de his rebus et tot errores, e. g. circa distantiam, magnitudinem, motum solis, lunae, stellarum. Ergo immediata perceptio sensibilis communis non est admittenda.

<sup>10</sup> Dist. mai.: debemus saltem eam percipere ut obiectum a nobis *distinctum*, *externum* et *extensum in genere* — conc.; debemus *perfecte* percipere illas qualitates; subd.: si plures sensus et quidem sub conditionibus debitis ex parte facultatis, obiecti, medii adhibentur vel adhiberi possunt — conc.; alias — nego. Eodem modo dist. minor.

<sup>20</sup> Retorqueo argumentum: Tot sunt dissensiones et errores circa sensibile commune. Atqui si Deus ipse esset auctor sensationum, ut vult Berkeley, vel si anima *ex se natura duce* formaret sensationem quantitatis et ad extra proiceret, sicut opinantur alii Idealistae acosmistici, nulla posset reddi ratio, cur Deus vel anima natura duce tam saepe et tam constanter sensibile commune quoad quantitatem, figuram, distantiam, positionem etc. *falso* formaret. Ergo . . .

<sup>30</sup> Eadem ratio, si probaret, ostenderet, etiam extensionem etc. *non* existere, quod sceptici re vera inde inferebant.

7. Atqui etiamsi plures sensus iique rite adhibentur, multi errores sunt; e. g. aqua videtur corpus continuum et tamen una mensura potest mille mensuras H<sub>2</sub>N (Ammoniak) absorbere; dist.: hoc probat, sensus esse imperfectos, neque omnia referre — conc.; probat, sensus fallere, subd.: per se (positive) — nego; per accidens, i. e. ratione iudicii sequentis — conc.

<sup>1)</sup> Addendum est ad has Kantii difficultates, ipsum in libro posthumo: „Uebergang von der Metaphysik zur Physik“ spatium tum ut formam subiectivam a priori, tum ut obiectivam a parte rei statuere, ita ut pristinam suam sententiam mutavisse videatur. Krause, Altpreussische Monatsschrift, Königsberg 1882; et „Immanuel Kant wider Kuno Fischer“ 1884.

8. Sensus non percipiunt rationem successionis vel coordinationis vel terminationis<sup>1)</sup>; ergo non percipiunt immediate, i. e. in rebus ipsis vel tempus vel spatium; dist.: sensus non percipiunt successionem, coordinationem, motum, terminationem, qua talem, i. e. abstractam — conc.; non percipiunt res in concreto, i. e. res sibi succedentes, coordinatas, terminatas, motas — nego.

Retorqueo: Conscientia testatur, nos percipere res extensas, terminatas, succedentes etc. Atqui sensus rationem *abstractam* spatii, temporis, motus percipere non possunt. Ergo debent concrete et immediate in ipsis rebus percipi.

*Thesis XVI: Sensus non fallunt circa sensibile proprium, si conditiones requisitae adsunt; has vero conditiones adesse potest constare.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Sensibile *proprium* vocatur specialis illa qualitas sensibilis, quae a singulis sensibus percipitur: color pro oculis, sonus pro auribus, durities, mollities pro tactu, dulce, amarum pro gustu, odores pro olfactu. Dicitur sensibile proprium primo et per se percipi: *primo*, quia est illud quod singuli sensus directe et ex natura sua apprehendunt et quo tanquam medio quod sive obiectivo alias sensibiles qualitates, e. g. extensionem, motum etc. percipiunt; *per se*, quia sensibile proprium ratione sui sensus determinat.

(2<sup>o</sup> Quaeritur igitur, num sensibile proprium, quod sensus tanquam obiectum nobis externum referunt, existat, sicut sensus renuntiant. Iam vero duplici modo posset proprium sensibile extra nos inveniri: ut causa solum *efficiens* et ut causa efficiens et *simul formalis* sensationis. Priorem sententiam, quam iam veteres Sophistae (Protagoras) et Atomistae (Democritus), ab Aristotele propterea reprehensi (de anima III, c. 2), statuebant, ex tempore Lockei et Cartesii maxima pars philosophorum non scholasticorum necnon physicorum sequuntur, distinguentes inter qualitates *primarias* (quantitatem et quae eam sequuntur), quas obiectivas vocant, et qualitates *secundarias*, quae in et a solo subiecto essent productae.<sup>2)</sup> Alteram

<sup>1)</sup> „Das »Nach«, die Reihenfolge der Töne, ist kein Gegenstand des Gehöres . . . Das Nebeneinander ist kein Objekt des Auges.“ „Gestalten werden nicht unmittelbar mit dem Auge wahrgenommen; denn jede Gestalt kann nur dadurch als bestimmte Gestalt vorgestellt werden, dass Farbengrenzen wahrgenommen werden . . . nur die Farbe als solche ist etwas Sichtbares, nicht ihr Ende.“ Drbal, l. c. p. 120 u. 132.

<sup>2)</sup> Cfr. Willmann, Geschichte des Idealismus I, § 22, 4; III, § 90; 94. Sufficiat unius testimonium pro multis: . . . „Dank sei unsern Sinnen; sie zaubern uns aus den einen Schwingungsverhältnissen Licht und Farben oder Wärme hervor, aus den andern Töne; chemische Anziehungskräfte werden wiedergegeben als Geschmack und Geruch, kurz, die ganze entzückende Pracht und lebendige Frische der Sinnenwelt verdanken wir erst den Symbolen, durch welche sie (die Sinne) uns die Nachricht davon überbringen.“ Helmholtz († 1895), Wissenschaftl. Abhandl. 1883; II, 608.

vero sententiam cum Aristotele omnes tenebant scholastici<sup>1)</sup>, paucis recentioribus exceptis<sup>2)</sup>; et hanc sententiam nostram facimus, statuentes proprium sensibile esse causam formalem, non solum subiectivam (medium quo), sed *obiectivam* ac proinde in rerum natura extra nos existere.

3<sup>o</sup> Neque vero affirmamus, sensus omnia et perfecte percipere, quae in obiecto insunt; neque negamus, semper aliquid subiectivi, praesertim in sensibus inferioribus (gustus, odoratus), perceptioni admisceri. Determinatio enim physica obiecti recipitur ad modum recipientis, et obiecta non solum inserviunt vitae intellectuali perficiendae, sed etiam et quidem primo ad vitam organicam sustentandam. Immo obiectum secundarium et indirectum in omni sensatione, sicut in omni actu cognitionis et appetitus, est etiam affectio subiectiva, quam conscientia directa refert. Neque nostrum est hic determinare, quomodo sensibile proprium in obiectis ipsis inveniatur et quid in se sit, neque errores omnes explicandi sunt. Nobis sufficit ostendere, sensibile proprium per se esse extra nos in obiectis, ubi et quomodo e sensibus percipitur, sive ut proprietas ipsis inhaerens, sive ut proprietas medii obiectivi e. g. lucis reflexae quoad colores (cfr. cosmolog. l. I, c. II, § 3: de proprietatibus corporum).

4<sup>o</sup> Ut autem recte percipiatur, quaedam conditiones requiruntur: a) ex parte *sensuum*, ut sint bene dispositi, i. e. ne vitio laborent (e. g. Daltonismo), neve praecedente sensatione sint vitati (e. g. oculus nimia luce fatigatus (Abklingen), palatum dulci vel amaro affectum, manus nimis frigida vel calida in tangendo etc.); deinde ne associatione phantasmatum (hallucinatio, somnium, Kontrasterscheinungen, farbiges Gehör) phaenomena quaedam producantur; denique ut rite sint applicati; b) ex parte *obiecti*, ut modo facultati proportionato appareat (e. g. ne nimis parvum sit, neve nimis distans, neve impressio nimis brevis ( $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{100}$ “), leges psychophysicae Weber-Fechner attendendae<sup>3)</sup>; c) ex parte *medii*, ut adsit me-

<sup>1)</sup> Vide, Pesch, Inst. log. II, 1, 126; Weltphaenomen, p. 90 sq. E. Fischer, Grundfragen der Erkenntnistheorie, p. 256 sq. Stöckl, Lehrb. der Philos. I, 380, Lehnen, Lehrb. der Philosophie<sup>2</sup> 1905, II, 55 sq. Schneid, Psychologie im Geiste des hl. Thomas, 1892, I, 61 sq.; Willmann l. c.; et Philos. Propädeutik<sup>2</sup> 1905, II, 57 sq.; Commer, System d. Philos. 1883—1886; J. Müller, System d. Philosophie, p. 174 aliique multi. — Contra: Al. Schmid, Erkenntnislehre, I, 111 sq. et II, 144 sq.; Gutberlet, Psychol.<sup>2</sup> 15 sq.; Hagemann, Psychol. § 21, citans plures auctores; Wohlmut, qui in editione octava (1905) philosophiae a Stöckl traditae ab huius auctoris sententia recedit I, 308 sq.; aliique auctores plus minus etiam scholastici. Cfr. Fischer, l. c. p. 441.

<sup>2)</sup> Cfr. Al. Schmid, l. c. I, 127 sq.

<sup>3)</sup> 1<sup>o</sup> Singuli sensus requirunt *certam* quandam impressionem *organicam*, ut sensatio fieri possit, e. g. oculus > 60“ (Reizschwelle), et est etiam ter-

dium ordinarium, ne e. g. fractio lucis, repercussio soni etc. sit anormalis. Effectus enim a natura intentus non potest obtineri, nisi ordo naturae adsit vel observetur. In genere vero supponendum est, conditiones illas adesse, neque semper a priori probandae sunt, nisi dubium positivum oriatur.<sup>1)</sup>

I. *Sensus non fallunt circa sensibile proprium.*

*Prob.* (1. *Ex immediata perceptione corporum:* Constat, nos corpora eorumque extensionem percipere idque immediate. *Atqui* non posset esse immediata corporum perceptio, nisi proprium sensibile esset in ipsis. Nam obiectum formale immediatum, i. e. obiectum quod primum et per se sensibus attingitur, est sensibile proprium, neque quidquam a sensibus apprehenditur, nisi ratione proprii sensibilis. *Ergo* sensibile proprium obiective in rebus perceptis existit. Vel sic: Corpora immediate per sensus percipiuntur, non per se, sed per suas qualitates sensibiles. *Atqui* obiectum immediatum sensuum sunt sensibilia propria. Ergo sensibilia propria debent esse in corporibus perceptis tanquam qualitates eorum sensibiles.)

2. *Ex natura facultatis cognoscendi:* Nulla facultas, si conditiones debitae adsunt, potest deficere ab obiecto suo formali; nam est repugnantia in eo, esse facultatem cognoscendi et tamen eam non cognoscere, et repugnaret naturae vel Dei veracitati. *Atqui* obiectum formale sensuum sunt: a) propria sensibilia, ut omnes concedunt, b) tanquam extra nos obiective existentia, ut conscientia omnium manifeste testatur. *Ergo* sensus referentes sensibile proprium tanquam obiective existens debitis sub conditionibus non possunt fallere.

(3. *Ex testimonio conscientiae:* Conscientia refert sensibile proprium eodem modo obiective, quo etiam sensibile commune et corporum existentiam; omnes enim homines eodem prorsus modo eademque certitudine dicunt: arbor existit, arbor alta, arbor viridis est. Optime distinguimus inter colorem oculis visum et phantasia

minus certus sensationis (Reizhöhe); 2<sup>o</sup> impressio organica debet crescere progressionem geometricam, ut sensatio crescat proportionem arithmetica (Reizstärke und Empfindungsstärke); 3<sup>o</sup> ut sensatio crescat, requiritur certum quoddam augmentum, diversum pro singulis sensibus, proportionatum impressioni iam praesenti: pro visu  $\frac{1}{10}$ , pro auditu et tactu  $\frac{1}{3}$ , pro vi musculari  $\frac{1}{17}$ ; (Unterschiedsschwelle). Cfr. Gutberlet, Psychol., p. 32 sq.; Hagemann, Psychol., p. 52; Müller, System d. Philos., p. 180. Wundt, Physiologie Psychologie 1880, I, 321 sq., cui tamen Ebbinghaus, Grundzüge d. Psychologie 1902, I, 512 sq. in multis contradicit. Cfr. libellum breviter totam psychophysicam comprehendentem: G. F. Lipps, Grundriss der Psychophysik, 1903 (Sammlung Götschen B. 98). Cfr. Philos. Jhrb. 1900, 295 sq.

<sup>1)</sup> Cfr. Cicero, Academ. II, 7.

repraesentatum. *Atqui* conscientia in hoc fallere non potest, si quidem realiter nil est nisi ipse actus sensationis, quo solo rerum existentiam attingimus. *Ergo* sensibile proprium obiective existit.

4. *Ex realitate extensionis* (argumentum ad hominem): Concedunt idealistae saltem physiologici, extensionem obiective existere. *Atqui* nisi sensibile proprium obiective existit, neque sensibile commune obiective existit vel saltem obiective existere probari nequit. Nam sensibile proprium neque existere neque repraesentari potest, quin sit extensum; deinde sensibile commune per se solum cognosci nequit, sed requiritur ad hoc sensibile proprium, e. g. nulla substantia corporea (e. g. aër, aether etc.) percipitur, nisi appareat colorata, resistens vel sonans etc. *Ergo* sensibile proprium aequè obiective existit sicut commune.<sup>1)</sup>

Neve dicas cum Locke aliisque, sensibile commune pluribus sensibus sibi concordantibus attingi ac proinde certius cognosci. Nam sensibile commune non ideo tanquam obiective existens admittitur, quia per plures sensus attingitur; de multis enim obiectis extensis certissimi sumus, licet uno sensu percipiantur, e. g. sol, luna etc. E contrario plures sensus nonnunquam requiruntur ad perfectam rei extensae (distantis, motae, quiescentis etc.) perceptionem, unde apparet nostram sensibilis communis perceptionem ex se imperfectiorem ac minus certam esse, quam proprii.

Neque obiciendum est cum E. v. Hartmann, nos corrigere testimonium conscientiae reflexione mentis, quae ostendat, quid sint propria sensibilia sc. motus quidam physici vel physiologici aëris, aetheris, nervorum, cerebri etc. Nam hic non agitur de cognitione corporum *intellectuali*, sed quid sensus referant et num eorum verum sit testimonium. Unde si sensus quoad sensibile proprium nos constanter fallunt, nulla erit ratio, cur ipsis fidem praestemus quoad sensibile commune. Deinde aliud est ostendere causas *instrumentales* vel *conditiones* sentiendi, ut physici faciunt; aliud est obiectum formale explicare. — Denique si ratio conscientiam corrigere potest quoad sensibile proprium, cur tunc non etiam quoad commune?

5. *Per exclusionem:* Motus illi organici aut sunt causa formalis sentiendi aut causa efficiens et quidem vel principalis vel instrumentalis. *Atqui* non sunt causa formalis; nam conscientia testatur eos non percipi; neque sunt causa efficiens *principalis*; nam huic effectus assimilatur, sicut imago exemplari in mente pictoris; nulla vero est similitudo inter motus locales et repraesentationem, e. g. domus. Unde non restat nisi illos motus esse causam mere instrumentalem, sicut penicillus eiusque motus pictori ad imaginem pingendam. *Ergo* sensibile proprium debet esse obiectivum, ut sit causa adaequata sensationis.

6. *Ex absurdis:* Si sensibile proprium non esset formaliter obiectivum, sequeretur: a) sensus non habere obiectum formale verum, i. e. conforme obiecto materiali.<sup>2)</sup> Nam ex sententia adversariorum obiectum immediatum

<sup>1)</sup> Cfr. Willmann, Philos. Propädeutik, 2 1905, II, 57 sq. <sup>2)</sup> Vide Zeitschrift für kathol. Theologie, Innsbruck, 1901, p. 478 sq.